

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas num. XLI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1753

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241482)

Tab. X.

NUMMI
EMBLEMATICI.

I.

FERDINANDVS D:ei gratia
ARCHIDUX AVSTRIÆ. Protome
Archiducis armata cum pallio,
ad pectus, capite caliptra crista-
ta operto, colloque focali cri-
spato ornato, sinistrorsum con-
versa.

In averſa IONAS ſeminudus
ex ore balænæ in terram eiectus,
dextram attollit. In reſſu ur-
bis *Ninivitarum*, ut videtur,
designatio, adiecto lemmate:
VINCIT POTENTIA FATI.

TYPOTIUS in ſuis ſymbolis,
averſam huius emblematici nu-
miſmatis, quanquam cum non-
nullo discrimine, pariter produ-
cit (a). Is in viro illo ſeminu-
do, ex balæna, marique emer-
ſo, non IONAM Prophetam,
ſed *hominem* qualemcunque *ter*
miſerum agnoſcit, *qui aut nau-*
fragio enatarat; aut blanditia
temporis & maris invitatus lave-
rat, in balenam inciderit, hac-
que imagine *potentiam fati*, cu-
ius magna vis ſit, oſtendi docet.

Contra vero ex LUCKII men-
te, ad nummum ſequentem ex-
plicata, comparatur hic imma-
nitas ac ferocia Turcarum ba-
lænæ, IONAS vero exercitui
Chriſtianorum: quaſi qui po-
tentia Divina ex eius faucibus
emerſerit.

Sed utram ex his duabus
expositionibus elegeris, emble-
ma ſemper in obſcuro manebit.
Nam neque IONÆ reſtitutio li-

(a) Op. cit. tom. II. p. 96.

(b) In nummis PHILIPPI II. tom. I. p. 161.
num. XCVII. & MAXIMIL. II. hic ſupra p.
47. num. V.

beratioque a *potentia fati* profe-
cta eſt, neque hominis cuiusli-
bet fortuna, ſi accuratius & ex
principiis Chriſtianis loqui veli-
mus, *fati* arbitrio dirigitur. At
indulgendum non nihil illius ævi
genio, cui ſatis fuiſſe videtur,
ex ſacris paginis ſymbolum ali-
quod adoptaſſe, quo infinitam
Dei providentiam, ut hic fit,
aut aliud ex eius attributis, te-
ſtatum faceret: dum interim de
accomodato rei lemmate parum
ſollicitus erat. Verumtamen vox
fati, hoc loco adhibita, pro
decreto ſeu *voluntate Dei* admo-
dum congruenter accipi poteſt:
quemadmodum in aliis Princi-
pum Chriſtianorum nummis tri-
tum illud: *ſic erat in fatiſ*, aut
ſimile quid, plus ſimplici vice le-
gimus (b).

Postremo *fatum* pro *decreto*
Divino recte & ex genio linguæ
lati-næ uſurpari, docet probatque
VOSSIUS apud GESNERUM (c),
ubi inter cetera *Minucii FELICIS*
locus (d) adducitur: *quid aliud*
eſt fatum, quam quod de uno-
quoque noſtrum Deus fatuſ eſt?
id eſt, fieri voluit.

Erat autem præſens typus
ſuetum FERDINANDI noſtri ſym-
bolum; ut ex ſequentibus num-
mis, quibus illud ſæpe repeti-
tur, intelligimus. Quo innue-
re volebat: omnia providentia
atque decreto, ſeu voluntate
Divina regi ac definiri; cui qui-
dem nulla vis, nulla potentia
reſiſtere poſſit. Nam *voluntati*
eius quiſ reſiſtit? (e).

Iam quod ad ætatem nummi
I 3 atti-

(c) In Theſ. erudit. Schol. verbo *Fatum*,
Voss. Inſt. orat. 4. p. 253.

(d) cap. XX.

(e) Ad Rom. IX. 19.

FERDI-
NANDUS,
dictus
TYRO-
LENSIS.

b

c

d

e

FERDINANDUS,
dictus
TYRO-
LENSIS.

attinet, nihil admodum certi affirmari potest: nisi eum vigente adhuc ætate Principis signatum fuisse. Nam cum nullam omnino epocham, seu annorum numerum præferat, malumus eundem inter mere emblematicos, atque adeo honorarios adnumerare, deque ætate eius nihil, quam longius quæsita, adferre. *M. Imp. ar. pond. semunc. 2. dr.*

II.

Nummus præcedenti haud abfimilis, nisi quod uterque eius margo regulis, in nubium speciem, exornatus sit. Adversa caput præbet Archiducis, prominentiori barba instructum, absque crispo focali, & cum caliptra magis replicata.

In averfa idem symbolum, idemque lemma, ac in priori: sed hic typus, seu potius delineatio inverfa, & balæna IONAM terræ primum reddit: secus ac in præcedenti, in quo is integro corpore iam solo datus est. Denique urbis ichnographia, in reliquis hisce nummis diligenter designata, in hoc ectypo, chalcographi *Luckiani*, ut videtur, culpa, omiffa est.

Victoriam hic subodoratur LUCKIUS, anno 1556. de Turcis reportatam, cuius hic nummus memoriam conservet. Illos enim Sigethum obsidentes, percepto FERDINANDI, cum iusto exercitu, adventu, soluta obsidione, cum universis copiis retrocedere coactos fuisse, ex SCHRENCKIO a NOTZING narrat. Quibus peractis FERDINANDUS, aliquot locis partim ex-

pugnatis, partim receptis, ar- ^{Tab. x.}
cem Sigethensem commeatu, bellicisque tormentis, & firmiori militum præsidio firmans, ad patrem victor redierit.

Verum utut hæc veritati historicæ haud disconveniunt: ex ratione tamen supra adducta, nummus hic mere emblematicus, eius rei gratia haud quam cudi potuit. Accedit vultus species, quæ Principem sane ætate provectiorem intuentibus obiicit, quam ut anno 1556. respondeat; utpote quo is, finita expeditione, annos vitæ non plures septem & viginti, & quod paullo excedit, numerabat. Quare in eundem profus album, quo præcedens, referendus erit. LUCK. p. 181.

III.

Epigraphe anticæ partis leviter differt ab antecedente. Siftitur hic caput FERDINANDI, corona Archiducali tectum, ad medium pectus, cum lorica & torque aurei velleris.

Postica pariter in paucis discrepat a præcedenti. Adicitur tamen numerus anni 1571. Ex intervallo urbs seu castellum visitur. IONAS denique ex rictu balænae eluctans, terram manibus necdum attigit, mensamque, aut ædificii quoddam genus, ante se habet, unde velut tria arbuscula eminent, quorum medium ceteris eminentius est. Omnia denique coronis laureis marginata sunt.

Ex apposita æra Christi facile intelligitur, quid de LUCKII expositione, hic supra adducta, sentiendum sit. Cum FERDINANDUS

NANDUS

Tab. X. **NANDUS** hoc anno nec pedem contra Turcas, aut alium quemcunque hostem moverit. Nam si præcedentes nummi: ex consequenti etiam hic præfens, rei bellicæ causa signatus fuisset. *M. Imp. au. 4½. duc.*

IV.

Effigies & epigraphe cum præcedenti fere conveniunt. Caput tamen hic laurea, pectusque paludamento, veterum more, cinctum est.

In averfa recurrit **IONAS**, ex fauce balænæ repens, & sinistra manu arbusculum prehensens: in prospectu iterum castellum visitur. Additur in ambitu lemma: *EX. IPSO ET PER. IPSVM.* Epigraphe hæc, ut & illa in averfa sequentis nummi, desumpta videtur ex Canone Missæ, in quo Sacerdos ante orationem Dominicam recitat: *per ipsum (Christum Dominum) & cum ipso, & in ipso est tibi Deo patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria.*

Herois insignia, quibus hic Archidux noster ornatur, duabus expeditionibus contra Turcas, cum patris **FERDINANDI I.** tum **MAXIMILIANI II.** fratris sui auspiciis, annis 1556. & 1566. susceptis, commeruit. Cum iam antea anno 1547. bello Schmalkaldico, annos duntaxat undeviginti natus, prima rei militaris tirocinia posuisset, editis ubique præclaris virtutis bellicæ speciminibus (a). *M. Imp. ar. fus. pond. 2. dr.*
M. S. B. a. deau. fus.

(a) Vid. KOEHLER M. B. L. P. V. p. 161. seqq. ISTHUANFF. lib. XIX. p. 364. & XX. p.

V.

FERDINANDVS: D: ei G. ratia FERDINANDUS, dictus TYRO- LENSIS.
ARCH: idux AVST: rie ETZ. (ce- tera). Protome Archiducis armata cum pallio, ad pectus, & aureo vellere, a tænia dependente, inoperto & calvo capite, ad sinistram converso.

IN. IPSO. ET. PER. IPSVM. ANNO. AET. atis LXV. **IONAS** iterum ex ceto exiens, dextro genu terram attingens, sinistrum ex fauce extrahit. In recessu urbs & mœnia.

Nummus hic ultimo **FERDINANDI** anno signatus est, quo ei munus supremi Belliducis contra **AMURATHEM**, Turcarum Tyrannum, oblatum fuerat. Ad quod rite obeundum cum necessaria parat, morbo correptus, vitam die XXIV. Ianuarii 1595. finiit: cum ex rationibus, a **KHEVENHILLERO** deductis, vixisset annos 65. menses 10. diesque totidem (b). *M. Imp. ar. 3. dr.*

UNCIALES

ET MONETÆ.

VI.

FERDINANDVS. D: ei G: ratia
ARCHID: ux AVSTR: ie. Caput Archiducis ad medium pectus, in toga pellicea, pileo pariter pellito, cum focali & insigni aurei velleris, dextrorsum conversum.

In averfa continentur tituli hisce verbis: **DVX. BVRGVNDIAE COMES. TIROLIS.** Aquila *Tirolensis* parmulam pectore gerens, cui aquila *Imperialis* biceps coronata inscripta: ipsi vero aquilæ

475. *ibid.* laudat.
(b) Contrefaits tom. I. pag. 107.

FERDI-
NANDUS,
dictus
TYRO-
LENSIS.

lae *Tyrolensi* imposita est corona Imperialis, cui imminet sertum laureum.

Tesseræ modo recensitæ, in nummo Tyrolensi prorsus singulares, suadent, ut credamus, eum usum fuisse anno 1566. quo sub Cæsare MAXIMILIANO II. fratre, exercitum in Hungariam contra SOLIMANNUM eduxit; unde vel ex indulgentia Cæsaris insignia Imperii, corona scilicet & aquila biceps, averfæ parti impressa fuerunt, ut hac ratione tanquam Imperatoris frater supremum se militiæ Præfectum spectabilem redderet: vel nummus honoribus FERDINANDI *Victoris* oblatus fuit: vel denique hoc monumento publice testatum voluit Princeps, sibi Augusti fratris, Imperiique res unice cordi esse, iisque omnes suos labores, pericula, bellicque incommoda, vitam denique & sanguinem consecrare. KOEHL. *P. v. p. 161.* & BANAGIA *in catal. M. SM. Imp. 4. flor.*

VII.

FERDINANDVS. D. ei G. ratia ARCHID. ux AVSTR. ia DVX. BVRGUNDIE: COMES. TIROLIS 1565. Hæc utriusque partis epigraphæ.

In adversa sistitur Archidux cataphractus, ad medium corpus, dextra sceptrum tenens, in humerum reclinatum dextrum; sinistra capulum gladii bellatorisprehendens, capite galero Archiducali operto, & sinistrorsum converso. In imo numerus Arabicus 60. nummi valorem denotat.

Aversa scutum quadriparti-

tum, præbet, parergis cinctum. Tab. X. Primus quadrans tæniæ *Hungaricas*: secundus leonem *Bohemicum* exhibet: tertius iterum ex repetitis *Castilia* & *Legionis* symbolis quadripartitus est: eodemque modo quartus tesseræ *Austriacas*, & *Burgundicas*, sibi quadripartitam oppositas, habet: toti vero incumbit parmula, aquilam *Tyrolensem* præferens. *M. S. B. ar. pond. 1. unc.*

Similem nummum uncialem produxit MELLENIUS de anno 1573. sed ubi nota chronologica in capite scuti apparet. Parerga quoque, scutum hoc ornatus gratia circumdantia, in eius exemplo omissa sunt, eorumque loco torques aurei velleris circumducitur.

VIII.

Nummus hic a proxime præcedenti in paucis differt. Antica caret numeris, valorem adsignificantibus, scutumque averfæ pileo Archiducali tectum, atque torque aurei velleris cinctum est: desideratur quoque æra Christi. Nummus de cetero cum paucis in suo genere elegantissimus. *M. S. B. arg. pond. 1. unc.*

IX.

Adversa ut num. VII. nisi quod hic nonnullæ litteræ ad integriorem vocum expressionem additæ sint. Elegantior præterea est, & in imo desideratur nota valoris.

Aversa solo titulorum & insignium augmento a præcedenti num. VIII. differt. FERDINANDUS quippe præter *Archiducis*

Au-